



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 97. Ludovicus objectam sibi persid am apud Carolum purgare conatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A. C. 1494

rito de Ludovico conqueri, quod eam Gallis subicere pertinaci consilio decrevisset. Ad hæc Taverna haud minus elata voce respondit, Ludovicus Dominus meus culpam suam non inficiatur, eam tamen reparare paratissimus est, ac vehementer exoptat, ut Italiæ Principes cum eo in pristinam redirent amicitiam, qua impetrata fidem suam obstringit, quod Gallos ultra Alpes repulsurus esset, nullo eis relicto spacio, intra quod Neapolis regnum vel oculis suis emetiri, minus vero illud armis occupare possent. Plura alia magis notatu digna Taverna subjunxit, quibus Ludovici perfidia, ac perversa ejusdem consilia satis manifeste prodebantur; his perceptis Mattaronus, plura in Franciæ Regis damnum audire impatiens, dato signo Petrum Medicæum monuit, ut Tavernam abire juberet, moxque Carolum de colloquii successu edoceri, summa sollicitudine curavit: Unde plurimorum sententia fuit, quod Rex Christianissimus quantocius Mediolani Ducatum tota belli mole oppressurus esset.

## §. XCVII.

*Ludovicus objectam sibi perfidiam  
apud Carolum purgare  
conatus.*

**A**st longe aliter evenit, ac putabant illi,  
palam.



palamque factum est omnibus, quod <sup>Sæcul. XV.</sup> Deus quandoque illos Principes, quos <sup>A.C. 1494.</sup> punire decernit, prudentia ac viribus destituat, nonnunquam etiam vindicandi animum illis auferat, quibus reos castigandi auctoritatem concessit: Ludovicus enim sua opinione civilis prudentiæ fama nemini secundus, re tamen ipsa nefariis fraudibus, atque abominandis artibus longe notissimus Carolo, qui suam ei perfidiam exprobrabat, nihil hæsitans respondit: Cum illi, quibuscum res mihi est, manifesti proditores sint, eorum perfidiam pari proditione plectere convenit. His perceptis, junctisque novis, quibus Ludovicus innotam fidem, sinceritatemque suam profitebatur, amicitiae simulationibus, Carolus non solum sinistram de Ludovico opinionem exiit, sed etiam recentis injuriæ immemor nihil deliberatius habuit, quam eundem sibi arctius devincire, ac implacabile odium inter illum, & Neapolis Regem, necnon Petrum de Medicis succendere; unde Petrum de dolo, qui in ejus perniciem denuo pararetur, accurate edocere decernit. Equidem hoc consilium periculis plenum erat, nec tamen optato caruit successu: Ludovicus enim Tavernam Legatum suum a Petro Medicæo tam fallaciter delusum fuisse compariens, eum Florentia abire jussit, nec

*Hist. Eccles. Tom. XXX.*

Pp am-



Sæcul. XV. amplius cum Italiæ Principibus rem ha-  
 A.C. 1494. bere statuit.

## §. XCVIII.

*Rex Papiæ juvenem Mediolani Ducem  
 invisit.*

*Guicciard.  
 hist. Ital. lib. I*

*Daniel. hist.  
 Franc. in  
 4. tom. 5. p. 94*

Carolus Rex Asta recedens, Casalim, indeque Papiam pervenit, ibique in arce diversatus est, nequidquam adhibitis Ludovici precibus, qui Regem impense rogabat, ne in hac arce commorari vellet; cum enim ibi inclusum tene- ret Joannem Galeatium Mediolani Ducem tum gravi oppressum morbo, omni ope & opera Regem a Nepotis sui colloquio arcere conabatur. Nihilominus Carolus humanissime Galeatium invitavit, nullatenus tamen de præsentis rerum statu sermonem instituit: juvenis quoque Princeps proximæ mortis suæ conscius duntaxat filium ac filiam, quos superstites reliquerat, Regis benevolentiam juges inter lacrymas commendabat. Referunt nonnulli, Ducissam Isabellam ejus conjugem se ad Regis pedes abjecisse, ac nullis aliis precibus interpositis unice eum obsecrasse, ut Alphonso consiliis acquiesceret; unde juvenis Ducis jamjam morituri ploratu, atque ardentissimis conjugis suæ precibus commoti, quam plurimi Galliæ Proceres, quos inter